



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum vsus vini sit licitus? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

722

Utrum usus vini totaliter sit illicitus?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod usus vini totaliter sit illicitus. Sine sapientia enim non potest aliquis esse in statu salutis. Dicitur enim Sap. 7. Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Et infra 9. Per sapientiam sanati sunt, qui cumque placuerunt tibi Domine à principio. Sed usus vini impedit sapientiam: dicitur enim Ecclesiast. 2. Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnes meam, ut transferrem animum meum ad sapientiam. Ergo potus vini est uniuersaliter illicitus.

¶ 2. Præterea, Apostolus dicit ad Roman. 14. Bonum est non manducare carnem, & nõ bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Sed cessare à bono virtutis est vitiosum, & similiter fratribus scandalum ponere. Ergo vitio est illicitum.

¶ 3. Præterea, Hieronym. * dicit, quod vinum cum carnibus post diluuium est dedicatum. Christus autem venit in fine seculorum, & extremitatem retraxit ad principium. Ergo tempore Christianæ legis videtur esse illicitum vitio.

SED contra est, quod Apoft. dicit 1. ad Timot. 5. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino, utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Et Eccles. 31. dicitur, Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum.

RESPONDEO dicendum, quod nullus cibus vel potus secundum se consideratus, est illicitus, secundum sententiam Domini dicentis Matth. 15. Non quod intrat in os, coinquinat hominem. Et ideo bibere vinum, secundum se loquendo, non est illicitum: potest tamen reddi illicitum per accidens. Quandoque quidem ex conditione bibentis, quia vino de facili læditur, vel quia ex speciali voto obligatur ad vinum non bibendum. Quandoque autem ex modo bibendi, quia scilicet mensuram in bibendo excedit. Quandoque autem

*Habetur
di. 25. c.
Ab exor
dio, ex
Hier. l. 1
contra Io
nian. 2. 3.*

autem ex parte aliorum, qui ex hoc scandalizarentur. Ad primum ergo dicendum, quod sapientia potest haberi dupliciter. Vno modo, secundum modum communem, prout sufficit ad salutem. Et sic non requiritur ad sapientiam habendam, quod aliquis à vino omnino abstineat, sed quod abstineat ab immoderato usu vini. Alio modo, secundum quendam perfectionis gradum. Et sic requiritur in aliquibus ad perfectè sapientiam percipiendam, quod omnino à vino abstineant, secundum condiciones quarundam personarum & locorum.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus non simpliciter dicit bonum esse abstinere à vino, sed in casu in quo ex hoc aliqui scandalizantur.

Ad tertium dicendum, quod Christus retrahit nos à quibusdam sicut omnino illicitis, à quibusdam verò sicut ab impedimentis perfectionis. Et hoc modo retrahit aliquos à vino propter studium perfectionis, sicut & à diuitijs & alijs huiusmodi.

ARTIC. IV.

Utrum sobrietas magis requiratur in maioribus personis?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod sobrietas magis requiratur in maioribus personis. Senes enim excellentiam quandam homini præstat. Unde & senibus honor & reuerentia debetur: secundum illud Leuit. 19. Coram cano capite confurge, & honora personam senis. Sed Apostolus specialiter senes dicit esse ad sobrietatem exhortandos, secundum illud ad Titum 2. Senes, ut sobrii sint. Ergo sobrietas maxime requiritur in excellentioribus personis.

723
1. Tim. 2.
e. 2. 10. 3.

¶ 2 Præterea, Episcopus in ecclesia excellentissimum gradum habet, cui per Apostolum indicitur sobrietas, secundum illud primæ ad Tim. 3. Oporteret Episcopum irreprehensibilem esse, vnius uxoris virum, sobrium, prudentem, &c. Ergo sobrietas maxime requiritur in personis excellentioribus.

¶ 3 Præterea, Sobrietas importat abstinentiam à vino